Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1623
Quelle:
Copyright:

tus contra luxuriam. Sequitur *Probemium: Secundum Aristotilis sententiam in probleumatibus suis. Quanquam in exempla adiscendo gaudeant omnes, in disciplinis moralibus hoc tamen amplius placet.* &c. Libris singulis Elenchus Apologorum suorum praefixus est, et ad calcem rursus minio: *Explicit Apolegiticus Cirilli episcopi grecorum. Translatus de greco in latinum.* 1443. *Augusti.* En igitur Exemplar, ad quod *Balth. Corderius* editionem suam, de qua mox, adornavit, e cujus cum *Codice* collatione disces, quantam libertatem sibi Vir ille ad perpoliendam dictionem sumserit, quod nollem; Lectores enim in errore confirmare potest, *Apologos* hos re ipsa e graeco traductos fuisse.

DCLXXXVIII.

U. 84 Codex chartaceus lat. partim Sec. XV. partim XIV. Folior. 193. 4. diversis manibus conscriptus, partimque per duas columnas, partim lineis longis exhibet sequentia: I. ut in praevio Elencho dicitur, *Quadripartitum Cirilli*, id est, *Libros IV. Apologorum* moralium, quorum I. contra Imprudentiam, II. contra Superbiam, III. contra Avaritiam, IV. contra Luxuriam dirigitur. Prologus ita inchoat: *Secundum Aristotilis sententiam in proplewmatibus suis quanquam in exemplis gaudeant omnes in addiscendo in disciplinis moralibus, hoc tamen amplius placet, quando structura morum ceu ymagine picta rerum similitudinibus palacium virtutis ostenditur* &c. *Propter hoc fili mi karissime informatiua iuuentutis tue documenta moralia — trademus* &c. Itaque *Liber* I. 27. II. 30. III. 27. IV. 11. *Apologos* continet. Veritas, quam quivis docet, minio praefixa est. V. g. *Semper disce et in extremis horis sapientie magis stude.* Actores Vulpes et Corvus. *Vulpes decrepita ardens cupiditate* &c. *Nichili sibi homo est sine sapientia.* Actores Aquila et Sol. *In lucidioris aeris sublimitate aquila transcendens* &c. Inventos hosce in Codice membraneo *Corviniano*, qui itidem, ut praesens, ad *Job. Fabrum* Ep. *Vien.* et ab eo ad Bibliothecam Collegii Acad. S. J. pervenerat, quemque ante produxi, *Apologos* pernitide, ut vix quidquam hodie e prelis hujatibus emergere videas, in lucem dedit, phrasi tamen satis mutata, *Balth. Corderius* S. J. Theol. Prof. typis *Gregor. Gelbhaar* 1630. 12. inter *Cyrillos Alexandrin.* et *Hierosol.* incertus, et e graeco conversos autumans. Quod nollem Viro docto accidisse; primum enim stilus ipse Autorem latinum sequioris aevi manifeste prodit, dein nequaquam ἀνεκδοτον τι promsit *Corderius.* In meo ad *Annales typogr. Maittairii Suppl.* P. II. p. 549. quatuor indicantur horum *Apologorum* Editiones Sec. jam XV. *s. l.* et *a.* vulgatae, quibus e *Panzeri Annal. der ält. deutsch. Litteratur, Norimb.* 1788. p. 445. 4.

addo